8

Q. D. B. V.

DE

JURE SACRORUM,

PRÆSIDE

JOH. REINHARDO Hedinger/

DOCT. PROFESS. P. ORD.

Ad d. Novembr. M DC IIC.

disputabit

LUDOVICUS HENRICUS Reuss/

STUTTGARDIANO-VVIRTEMBERGICUS.

GISSÆ HASSORUM,
Typis HENNINGI MULLERI.

ILLUSTRI
atq;
EXCELLENTISSIMO
VIRO
APUD RATISBONENSEM DIÆTAM
WIRTEMBERGIÆ
LEGATO
SPLENDIDISSIMO
DOMINO
JOANNI HILLERO
ab & in GERTRINGEN,
SERENISSIMI DUCIS JUSTITIÆ
CONSILIARIO,
Avunculo suo honoratissimo
Evergetæ maximo,
HOC MUNUSCULUM ACADEMICUM
DICAT
A. & R.

Ξ. Θ.

I.

DE *Jure sacrorum* aliquid commentaturus statim in limine deprehendo, diversissima in studia scindi *Auctores,* dum POTESTATEM ECCLESIASTICAM(de qua nobis sermo erit)*ejusque SUBJECTUM MODUM ET AMPLITUDINEM* explicare conantur.HOBBESIUS existimat, saluberrimè consultum iri Republicæ,si à populo *in principis* Majestatem non tantum *judicium* de moribus,sed &*doctrinis* transscribatur unico excepto articulo JESUS est MESSIAS. Reliqua si à principis arbitrio pendeant,*civitatem* pacatam, turbisque omnibus, quæ Religionis causa nasci poterunt, exemptam fore. Hac igitur ratione *Ministri* Ecclesiæ nihil essent ac *vicary* Majestatis, quorum *vis, officium & Potestas, ut* docendi *ita* corrigendi,Modum & temperamentum acciperet à voluntate summi Imperantis,prout è re *Ecclesia,* cum *Republica* concretæ videretur.ALII contrariam viam ineunt,quos inter præcipui *Anglorum*,& novissime post acutissimũ *Thorndik Simon Lovvth* asserentes,potestatem *Ecclesiasticam à Christo* &Apostolis ad posteros derivari,temereMajestatis jura *cum sacris* commisceri, quæ diversam *indolem, forum & jurisdictionem* habeant. *Vocare, ordinare ἀναθεματίζειν, pœnitentiæ rationem modumque præscribere, Eleemosynas curare, dogmatum veritatem percontari, Leges de moribus & symbolis ferre,*non *Ecclesiæ totius*, sed repræsentativæ esse in capitibus & προεστῶσι,qui munus suum *non ab hominibus,* sed *justa successione* à Christo & Apostolis accipiant,quam successionem probavit apud Anglos *Sayvvell,pecul. tractat.* ALII,ut *Ill.Pufendorf.B.* m. ad Ecclesiam tanquam *societatem* singulari *causa finis* constitutam, omnia revocant, cujus *sua* dirigere mediis legitimis &instituto non adversantibus integrum sit. Videlicet non Imperio *interno* opus esse ad *prædicationem* verbi, & *manuductionem* populi ad cœlum, *persuasionibus*

[Margin notes: civ. & Leviat. — *in lib. Subject.of the church. povver. — de habitu Rel. ad civ.]

 non

non *pœnis* hic agi, & vi Spiritus S. nec minus sanctimonia Exempli. Principes tamen, quæ Rempublicam concernunt imperiis moderari, & cùm Christiani sint id agere posse, ut *sua auctoritate* improbos mores monitoribus huc usque suis asperos coërceant, ut dogmatibus, ne vinculum Societatis civilis convellant, externa sagacitate advigilent : Etiam eos *functionibus* admoveant, qui aptiores unà *Reipublicæ commodis* videantur. Quam ipsam sententiam apertius *nonnemo* proponit, Principi *ut tali* multo magis ut *Christiano* & *homini*, facultatem omnem ademptam esse, quæ in sacris aliqua gubernet, *qua majestas* non intelligat, nec *ut talis* instrumenta, oculos, & vires habeat, de sacris rebus velut *à suo foro, scopo, indole* penitus alienis, quicquam statuendi, determinandi, nedum *imperandi*. *H. GROTIUS peculiari tractatu* mediam quasi insistit viam, arguitque Principi utique curam salutis non solum temporalis sed *& æternæ* injunctam esse. Quo fit, ut quam ipse salutiferam religionem animo conceperit, talemque esse suspicetur, aliis quoque *cura vim tamen* imprimi, eamque promoveri curet. Divisis scilicet officiis *alia*, & quidem præcipua, curabit Princeps, *alia* Ministri Ecclesiæ, quorum potestas in *nulla Jurisdictione* sita, nihil reliqui habebit, quam *prædicationem*, *administrationum sacramenti* & *curam* eorum, quæ immediatè ad Ecclesiam pertinent, v.g. *Inquisitio veritatis* Theologicæ, *consultatio* de mediis promovendæ pietatis &c. *Decisio* autem in ambiguis omnium Ecclesiæ membrorum, & vel *maximè Principis* foret, qui vim *convocandi Synodos*, ferendi *leges*, *judicia* Ecclesiastica exercendi, sibi *Jure majestatis*, vel simpliciter talis, vel *Christianismo imbutæ* arrogaret. Et hanc sententiam potissimi ex nostratibus sequi videntur. *Blondellus** populo faventior est quam *Grotius*, & Ecclesiam, quà cœtus est, majoribus quam ille (*ut de Hobbesio nil dicam*) privilegiis instruit. Quorum verò Auctorum omnium sententias minutim hic explicare, & *in quas divisiones* singulæ iterum patescant operosius exponere nostrum non patitur institutum ; Unde nec de *Pontificiorum* opinione, vulgo notissima quicquam attulero. Multo minus ex *Jure Publico* afferam, *Jura*

De potestate Principum circa sacra.

De Jure plebis, & Apol. pro Hieron.

Prin-

* Presserat *Blondellus* Apolog. pro Hieron. integrum triennium & lucri cupidine post animum mutaverat, ut pro Episcopalibus scribere vellet Sed à *Laudo* Præsule *Cantuarensi* non fuit receptus.

Principum Imperii *Episcopalia*, *ex suspenso* Pontificii *Juris influxu* proficisci, cum spes tenuerit Reformatores amplissima, fore, ut & *illa Controversia de Potestate Ecclesiastica*, finem & compositionem nanciscatur: Constitutis *interim* CONSISTORIIS, quorum Jura & potestates mirificè variare in Imperio cœperunt, ex quo diversis in Religione *principiis* summi Imperantes adhæserunt, & *Politici* strenuè id egerunt, ne Sacerdotibus *sacra* Potestatis Ecclesiasticæ contentionibus agitare liceret. Et quis sibi non metuat, Eorum, qui *proscribere* possunt; Jura semel arrepta in dubium vocare, posteaquam non *veritati*, quæ odium parit, sed *adulationi* tot commoda fructusque allaturæ summa quævis ingenia servire dudum non erubuerunt.

II.

Neque id agimus, hîc loci, ut *vel* carpere alios, *aut* nostro ingeniolo prudentissimorum hominum doctrinam convellere aggrediamur. *Nostra nos umbella metimur.* Cum tamen de talibus argumentis cogitare sæpius necesse sit, præsertim iis, qui veritatem in puteo latentem eruere, nec *verbis*, *distinctionibus*, *& meris allegationibus*, seu pueri pulte solent, animum pasci, sed ad *judicium limatius* omnia revocari cupiunt, thesium angustia nostras qualescunque meditationes includamus, eo consilio, ut salubriora & veriora à quovis edoceamur. *Errare enim humanum est*, & quò ardentius veritatis nidos excutere conamur, eò promptiùs *illa levis sese fugitiva recondit in auras.*

III.

SUPPONO autem. 1. *Religionem INTERIORA magis, ET ÆTERNA SPECTARE*, quam *externis & temporalibus occupari.* Equidem animus *in exteriora* quoque prorumpit, & dum mortali corpore circumvestimur, aliorum hominum frui *consortio* necesse est, quod nihil magis tranquillum, felix & auspicatum reddit, quam *Charitas*, Lex Regia Christianismi: Nihilominus πολίτευμα nostrum in cœlis est, Phil. III. 20. Sectamur τὰ ἄνω, Col. III. 1. Futura quærimus. Eb. XIII. 14.

IV.

2. *Religionem tamen dum vivimus PUBLICAM aliquam esse oportet.* Quod ex Jure N. ejusque principiis constat. Neque

enim ſolum DEI *honor* id poſtulat, *publicè* & in oculis aliorum *coli, laudari*, ſed & *Societas humani* generis, cum vix homini homo fidere poſſit, quem ἄθεον eſſe *ex neglectu* omnium Religionis actuum meticuloſus quisque ſuſpicatur.

V.

3. *In Statu N. præcisa revelatione DEIq; expreſſo præcepto CUIVIS INTEGRUM futurum erat, ut DEUM pro ſuo Judicio colere, ſenſumq; pietatis ad alios emanare voluerit.* Cum enim in hoc ſtatu, ſinguli *ſint pares*, neque Jus ſit alteri ut alterum ad *pares ſenſus, ſimilemq;* Deum *colendi modum* imperio adigat, natura rei efflagitabat, *ut ſuo judicio* quilibet abundaret.

VI.

Enimvero (4) cùm facilè vidiſſet homines ſolennia cultus divini longè facilius & glorioſius adminiſtrari, *ſi NON SINGULI* ſua *curarent, ſed in commune*, auctis præſertim ſacrificiorum, victimarum, liturgiæ miniſteriis, poſthac conſulerent, *Solitarii cultus* ſenſim pertæduit. Sum enim perſuaſiſſimus, rationem mortalium *plurima* inventuram fuiſſe, absque & citra *Revelationem*, quibus *placare* DEUM, urgente conſcientia & Lege ἐγγράφῳ, quibus favorem Numinis *provocare* ſe poſſe utile primò, mox neceſſarium exiſtimaſſet, non manſura intra ſimplicitatis cancellos pietate. Ponamus vero *ſocietatem* aliquam confluxiſſe, quæ id ſibi propoſitum habuiſſet COLERE DEUM, næ *directorio* quodam, *ſaltem pluralitate* votorum opus erat, ut conſilia & judicia de agendis & actis, rectè & ordinatim inſtituerentur.

VII.

Sed poſteaquam 5. mortales *in Civitatem* conceſſerunt, intereſt imperantis ſagaces circummittere oculos, ut nullus in Republica *motus* corporis & pedis, nedum *conſcientiæ* fiat, qui ipſi *abſconditus*, ulloque ratione civitati *damnoſus ſit** Conſtat autem nihil efficacius movere animos *ſuperſtitione*, dicam *opinione* de DEO, ejusque *cultu*, quod

* Unde *Privatam Religoinem* Gentiles, æquè ac *Ius Canonicum* prohibuerunt. Hinc Lex *ſeparatim nemo habeſſit* DEOS nec novos. *ſed ne ad venas quidem niſi publicè adſcitos* PRIVATIM COLUNTO Cicero. l. 11. *de Leg.* in quas commentari multa utilia volebam, ſed deſunt voto reſpondendes, vid. interim *Gothofredus* in *Nott.*

quod omnium temporum exempla docuerunt. Quamobrem contingere non poterat, ut dum *vel singuli* cultum DEI publicum edere, *vel junctis* aliqui viribus talia moliri vellent, *illa ignorante* nedum *invita* Majestate fierent.

IIX.

Jam ASSERO I. SUMMUS IMPERANS, *quicunque sit*, ex juribus Majestatis, quâ Reipublicæ saluti invigilat & præest, Jus etiam habet DISPONENDI *aliquid circa Religionem, quà* PUBLICA est. *Ratio* ex dictis; quia (α) Majestatis dispositioni subjiciuntur *omnes civiles actiones*, quæ ULLATENUS nexum Reipubl. contingunt, vel *alterare* vehementer & variare possunt, quin etiam (β) omnes *actus externi*, & (γ) *in oculos* concivium incurrentes: de *his enim judicium* ex *secundo pacto* Majestati relictum est, num earum exercitium modumque civitati *prodesse* vel *nocere* existimet.

IX.

II. MAJESTAS NIHIL JURIS *habet in ACTUS IMMANENTES & internos conscientiæ*; hæc enim cum *dominio & libertate* in pacto Civitatis excepta est, soliusque Numinis subjecta imperio. Et cum *conscientiam* sola Lex DEI vel *inscripta vel revelata* dirigat, moveat, impellat; sæpè animus ἀνυπεύθυνος, divinitatis opinione deceptus: in propatulo *est Majestatem defectu mediorum*, quod Leges externas & supplicia solum cum præmiis ostentet, in conscientiam nihil operari posse, *etiamsi vellet*.

X.

III. MAJESTAS tamen QUA TALIS *Religionem* ALIQUAM *introducere, fovere, & conservare debet in Republicâ.* Hujus enim vinculo quid infestius, quam fæda ἀθεότης? quæ si animos civium occuparit, *solò metu & vi, nulla fide*, nullo *conscientiæ terrore* ducerentur, nulla insuper Majestati & civitati obligatione, (quam in sola vi & voluntate citra *metum sensumque superioris* collocare stolidissimum est) innecterentur.

XI.

IV. *EA Religio PUBLICA sit oportet.* Ratio est, ut constet Imperanti eam *reverâ* exerceri & illis quidem modis, quos Reipublicæ non nocituros existimavit: Unde V. JUDICIUM SPECTAT *ad Principem, qui cultus, & colendi modus damnum affer-*

re possit civitati, qua in re licet aliorum forte *consilio*, ut in *civilibus* quoque, utatur, VIS tamen Decidendi, præsertim inter pugnantes sententias, ad *eum redundat*, qui *Principium* & *caput* est omnium Civitatis actionum, & *vim integri* suâ personâ complectitur.

XII.

VI. *Majestas* si sapit, *prospiciat oportet*, *ut INTERIUS sentiant Cives quod EXTERIUS cultu profitentur.* Aliâs certa non est, Atheismum intus foveri & glaucoma solum oculis objici, sublata *fide* & *metu* Numinis, vel ad omnium scelerum (quæ ut Reipubl. nociva, non coërceri solum sed & *aboleri minuique* in mentibus interest) sufflamine & robustissimo *freno*. Hunc ut obtineat finem, MEDIA *efficacissima* seligat necesse est, *doctrinam*, *demonstrationem*, *persuasionem*, *partim removendo* præjudicia, quæ naturæ dictamina obnubilant aut confundunt, ubi *Philosophia* contemni non debet: *partim veritate* animos IMBUENDO, cujus Criteriis CHRISTIANA *Religio* alias omnes antecellit.

XIII.

VI. *Quodsi vero Majestas*, jure vel injuria, *in sententiam aliquam inducatur, unam religionem PRÆ ALIA ESSE MELIOREM*, nisi præceptum divinum habeat idque manifestum, *alteram* abolendam, *hanc* urgendam esse, *debet acquiescere placitis & conscientiæ civium*, modo nec *in ipsâ DIVERSITATE*, vel *Religionis professione* aliquid sit, quod *immediate* vel *clandestina* peste Rempublicam corrumpat: cujus *rei Judicium*, ut dixi, pertinet ad summum Imperantem. Esto igitur hunc, jure an injuria, arbitrari, *aliquem sensum religionis* hostilia & interitum minari Reipublicæ, eapropter tollendum neque tolerandum esse, hoc *infortunium* ita sentientibus ferendum est, *nec aliter faciendo* imperans ut talis suo officio recte defungitur.

XIV.

VII. Et quoniam sæpè sæpius contingit, ut *in unâ Civitate plures* nascantur religiones, & *ex religione diversi* COETUS, qui se invicem damnare, & falsitatis accusare solent: MAJESTATIS *est judicare*, utrum & illa *dissensio*, & ejusdem fundamenta, *religiones ipsæ*, aliquid habeant, quod Statui noxium sit. Eo casu diligenter allaborabit, ut MEDIIS *conscientiæ aptis*, h. e. nulla vi, soloque imperio,

perio, *sed doctrina evidenti*, contentiones sopiantur, & nisi deleantur, *acquiescant*, inque statum NON-NOCENDI reponantur.

XV.

VIII. Circa SOCIETATEM *religiosam*, (vel *cum* civitate penitus *coaluerit*, vel *in civitate* aliter sentiente consistat, perinde est.) ita DISPONERE *licet Majestati*, ut nullis artibus facilè ex aliorum exemplo prævidendis, *quicquam doceatur agaturve*, quod pacem turbet Reipublicæ. Eapropter *sibi fidos*, quocunque modo rituve, miscebit huic Societati, qui *propius advigilent*, *quieti*, si nihil novetur, *Censores futuri* & delatores ad imperantem, si quicquam fiat saluti civili, *qua tali* inimicum. Quod duobus præcipuè modis evenire potest, SUADENDO, IMPEDIENDO: Hocque vel arte vel manifesto imperio. Eapropter interest Magistratus & Reipublicæ, *turbulentos* homines sacris non præfici, & provideri, ne sacra cum civilibus misceantur, concitando populo dogmata disseminentur, quæ divinitatis prætextu turbas cieant, majestatis auctoritatem diminuant, confusioni per Demagogos patrocinentur.

XVI.

IX. *Ea*, *quæ* Statum civitatis NIHIL MORANTUR, *Majestatis imperio* SUBTRAHUNTUR. *Conscientia* & *Societatis* voluntas hîc imperant. Quid enim Majestati *cum opinionibus* alteram vitam & interiora animorum spectantibus? Quemadmodum Societates v. g. *mercatoriæ* circa se ipsas liberè disponunt: ita & cœtus Religionis caussâ compositi; quibus naturaliter *sentiendi libertas* concessa est, prout & CREDERE conscientia, & ORDINARE *disciplinam moresque* Societatis PRUDENTIA jusserit. Hanc si quis ingrediatur, legibus moribusque institutis parere necesse est, neque sibi temerè quispiam *jus* seu *prærogativam* sumserit invito cœtu, nedum ut *extero sub prætextu* quicquam imperare; absit ut pro suo arbitratu omnia intervertere aut miscere possit.

XVII.

Considerabimus nunc SOCIETATEM IPSAM, quæ voluntate ad eundem finem coaluit. IS CULTUS DEI est, & SALUS *colentium*. Utrumque ceu FINIS nonnisi per MEDIA obtinetur, quæ cùm DOCERI, tum *animi* PRÆPARARI debeant, ne media isthæc exequi detrectent, sed omni contentione prosequantur: Idcirco

circò videmus *I. Opus esse VI electiva* & DECISIVA *in hâc Societate, qua singula in singulis disponat, ordinetque ad finem feliciter obtinendum.* Esto enim, quod *Legem* aliunde acceperint, & formam οἰκονομίας; facilè tamen obtingere solet, ut de *sensu Legis* ipsius controversiæ oriantur, & difficultates *circà res, personas, tempora* & quid non? ingruant, quibus *decidendis* vel *authentico* interprete, vel *alio* remedio opus est, quibus Societatum dissensiones communiter levantur. *Proximum* videtur, ut *plurium votis* aliquid statuatur, cum nihil sit naturalius, quam *pauciores* assurgere *plurium* desiderio & statuto. Poterit tamen evenire, ut *compendii causâ*, *Senatus* aliquis prudentissimorum constituatur, vel etiam *unus* aliquis, qui sua auctoritate, cum & inter Seniores, licet pauciores, dissensio nasci queat, lites componat, rebusque necessariis prospiciat. Sic videmus apud Gentiles *Pontificem* Max. & Collegium *haruspicum* viguisse.*

XVIII.

SOCIETAS hæc *religiosa* vel δημοκρατικῶς vel ἀριστοκρατικῶς vel μοναρχικῶς administrata 2. PRÆCIPUAM CURAM impendere debet personis DOCENTIBUS *media*, quæ fini obtinendo velificantur. *Vocandi* igitur & in officio hoc *constituendi*, qui Leges divinas naturales optime calleant, ut Philosophi, vel si REVELATÆ præsto sint, omnium maximè habiles & idonei deprehendantur *ad eas exponendas*. Horum verò docentium munus erit, *neminem cogere* sed *rationibus liquidis* ignaros & refractarios ad sensum religionis perducere. Quod si ex *Lege* & *Oraculo* proposito dubium suboriatur, isti tanquam intelligentissimi talium audientur, ita tamen, ne *totius Societatis* judicium excludatur, quippe cujus interest nosse, quibus doctrinis & per doctrinas mediis utatur, ne præter expectationem illusa fine præfixo turpiter excidat. Quoniam verò ex plebe *singuli* ingenio non pollent, quo res ad intellectum pertinentes dirimant, optimum factum erit, si *prudentiores* ad discussionem tanti negotii confluant, quorum fide & industriâ reliqui nitantur.

XIX.

* Hoc tamen cum discrimine ut *Sacerdotes* peccata DIIS conciliarent, *Philosophi* formarent mores. Vid. *Not. Clerici* novissimas ad *Hammondum* Luc. I. & *Lactantium* Lib. V. c. 3.

XIX.

DISPONI 3. *singuli debent*, ut *Mediis libenter & rectè utantur, quæ ad colendum DEUM, & inde obtinendam salutem pertinent.* Quod fit subsidiis *internis* & *externis*: INTERNIS, si *præter* doctrinam aliquid præceptum datumque sit, quo animi ad obsequium tacita virtute pertrahantur. v. g. vis θεήλατος, *fati inclinatio*, ἐνθουσιασμὸς, *vatidiciiq́, furores* &c. apud paganos. EXTERNIS, *sacrorum dignitate*, *exemplorum elegantiâ*, & *Legum* disciplinam inculcantium *severitate*. Cum enim Societas *nullà* diu subsistat, nisi extrà orbitam vaganti licentiæ *validus obex* opponatur; *sit aliquid*, quod ἐξουσία *regat*, *dirigat*, *metuatur*. Eapropter *Societas religiosa* operam dabit, ut *disciplina* sanctior *strictiorq;*, cum sit pars cultus, observetur, Leges *Censoriæ*, ex *majoris sc. partis* beneplacito, vel cœtus *integri*, in personis eum REPRÆSENTANTIBUS statuantur; rectum de subnatis *circa praxin* litibus judicium fiat, eo eventu, ut culpandi *moneantur*, *corrigantur*, & si fini Societatis pertinacius obluctentur, cœtu per segregationem eliminentur.

XX.

Ex quo proclive est agnoscere, vim *legislativam* rerum ad se pertinentium, *vim Judiciariam* de controversiis ad doctrinam & mores spectantibus in IPSA SOCIETATE radicari, neque valere, si *Socius*, qui ex aliâ caussâ *plus dignitatis* viriumque nactus est, hoc prætextu ἀπροσδιονύσως uti, & in prærogativa de omnibus pronunciare velit. Societatis tamen indulgentia & statuto præcipuis ejusmodi viris, *Senioratus*, *Senatoria* & cœtus *repræsentativa* dignitas (posito quod ἀριστοκρατικῶς administretur) præ aliis conferatur, quod *prudentia*, *consilio & fide* reliquos antecellere merito præsumantur.

XXI.

Est tamen discriminis aliquid inter *Societatem religiosam* & alias QUASCUNQUE, ex *Materia seu objecto.* Etenim, si aliâs *vota plurium* & judicia sic prævalent, ut reliquis citrà contradictionem assurgendum sit, *major* etiam pars *minorem repræsentet*; ex *compromisso* non minus in unum alterumve socium rei difficilis arbitrium conferri queat: hæc in causâ religionis *temperamentum* accipiunt, SI EVENTUS CONSCIENTIAM LÆSURUS SIT. Quo casu

 nulla

nulla valebit *repræsentatio*, *decisio*, *judicium aliorum*. Sola PERSUASIO locum obtinet, cui nisi assurgatur, tale membrum Societatis aut tolerandum, aut ex *dissensu noxio* (de noxâ ejusque qualitate *humanitùs* decidi debet, alioquin dabitur confusio & processus in infinitum.) tanquam ἀποσυνάγωγον à Societate sejungendum est.*

XXII.

Hæc omnia, quæ PRÆCISE, *nullo respectu* hujus illiusve Religionis, *in genere* dicta sunt, ad *Principem cœtumq́; Christianum* adplicare non erit oppidò difficile. Omnia enim hactenus asserta *in Principem* ut TALEM, & *Societatem Christianam*, quà SOCIETAS RELIGIOSA audit, omninò cadunt, nisi ex capite CHRISTIANISMI, utriusque *&* *Principis* *&* *Societatis* religiosæ FACULTAS & Jus *aut* amplificetur, *aut* restringatur. Quædam delibabimus, *salvo melius sentientium judicio*.

XXIII.

CIRCA PRINCIPEM Christianum ASSERO 1. Eundem nihil NOVI JURIS accipere in Societatem INVITAM eopse quod Christianus sit. Nam (α) per *professionem Religionis* specialis, Christianismi puta, nihil *mutatur* in principe, quàm ut in Societatem Christianorum ut MEMBRUM recipiatur. (β) Nullicunde accipit *Jurisdictionem novam*. Non à DEO, quod probandum! *non à cœtu*, quod nunc supponitur: *Neq; ab ipsa natura* Christianismi, cui nihil commune est *cum imperio civili*. Quodsi dicas, Imperium Ecclesiasticum *dari per Christianismum*: Velim scire, ubi illud imperium fuerit, *priusquam* Princeps fieret Christianus, *Societas* vero dudum extitisset? Porrò, quæ ratio est, ut *quamprimum* Majestas civilibus nata rebus *religione* quadam imbuatur, statim *&* *in religione* novos fasces exerceat? Cedò tabulas unde eas agnoscamus. Et annon affirmant Politici, Principes *non jure Episcopi*, prout hactenus creditum, sed JURE MAJESTATIS sacrorum habenas moderari: quod planè putidum est & ἀφιλόσοφον si de *novo quodam* ex Christianismo in Christianos qua TALES Jure intelligatur. Quod (γ) assertum verum est, etiamsi *Civitas* *&* *Ecclesia* sint IDEM. Princeps in Civitate

Prin-

* *Quamprimum enim SEPARATIM socii agere cœperint, & unusquisq; eorum sibi negotietur* (peculiaria media ad finem sibi fingat, ἀλλοθυσιαστήριον ἐνορθῇ) *sine dubio Jus Societatis dissolvitur. l. 64 π. pro Socio.*

Princeps, in Ecclesia *membrum* est, licet ob impressum Majestatis *characterem*, qui qualis sit, nemo magis ac *Christianus cœtus* intelligit, summò loco habeatur; velut *primogenitus* inter fratres, *senex* inter æquales, sed juniores & inexpertos.

XXIV.

ASSERTIO II. *Maximo tamen beneficio reputandum est, si PRINCEPS sit Christianus*, nam (α) QUA TALIS officium suum *melius* intelligit ex Scripturis, etiam quà PRINCEPS, cum DEUM *non qualitercunq;* Colere, sed VERE possit: discrimen agnoscat inter *lucem* & *tenebras*: *libertati* civium non insultet, & vel maximè *Conscientiarum*, quas à DEO regi & illuminari intelligit. *Veras rationes* gubernandi Rempublicam animadvertit, cujus *Saluti*, etiamsi seriò quæsitæ *stultissima* RATIO *Status*, maledictis fraudibus *quasi necessariis* suffulta sæpius illudit. (β) *Membrum factus Ecclesiæ*, eam non persequitur, ut ex perversis principiis *naturalem Religionem professi* solent. (γ) Eopse aptus est, ut *Ordini, disciplinæ & moribus* Ecclesiæ propiùs advigilet, *Senior* cœtus auctoritate *licet peregrina* (si Societatem intuearis) *exorbitantiam* membrorum facillimis & præsentibus remediis comprimat, quam *Apostoli* miraculosa Satanæ tradendi potestate, *primi Christiani* rigidis Excommunicationibus coërcuerunt. Jam quæ *Senior* impia videt, ulciscitur QUA PRINCEPS isque Christianus, & *verâ* morum civitatem conservantium *Philosophia* imbutus.

XXV.

ASSERTIO III. PRINCIPI CHRISTIANO, qua tali Jus Ministros *vocandi*, *confirmandi*, *de Controversiis fidei judicandi*, *excommunicationes irrogandi* &c. non velut in Ossibus hæret: *non* UT PRINCIPIS, cujus inter Regalia hæc esse EXTRA CASUM PERICLITANTIS CIVITATIS quis dixerit? *Non ut CHRISTIANI*, cum Christianus Christiano, Socius Socio sit æqualis. Neque *si junctim* sumas; cum totum illud, PRINCEPS CHRISTIANUS, *nihil Iuris* ostendat in Societatis ACTIONES, nisi ab ipsâ & ex NOVO quidem titulo delatum sit. *Distinguitur* quidem inter potestatem PRINCIPIS EXTERNAM, Episcopatum καὶ ἔξω, & INTERNAM ἀρχιτεκτονικὴν vulgò, quæ Pastoribus Ecclesiæ competat, accepta à Christo potestate. *Illam* esse asserunt, qua cœtum Religio-

ſum *promovet*, *tuetur*, *ordini* proſpicit Societatis, quatenus ex *ἀταξίας* labes in Rempubl. redundare poſſet, facit tamen hoc quà PRINCEPS, non novo JURE, ſed novo LUMINE ex *Chriſtianiſmo* colluſtratus, ut felicius expediat illud officium MAJESTATIS, *tueri & fovere aliquam* in civitate *Religionem*, tanto auſpicatiùs, ſi OPTIMAM. Facit hoc in cives, non *novo ſibi Iure* devinctos, ſed *quà tales*, licet *qualificatos* (ſit venia dicto) & ex Societate Religioſa commoda hujus & alterius vitæ ſperantes. Sed ut de fidei *controverſiis judicet* &c. & plura alia agat, quæ Societatis ſunt occupationes, & FUERUNT, priusquam Princeps eidem ſe addixiſſet, haud *paulo plus eſt*, quam ut ad *externam* Principis Chriſtiani poteſtatem referri queat. Quî enim v.g. de *controverſiis judicet*, quæ non intelligit? & cur JUDICAT? cum Judicandi titulum *materia* & *religio*, nedum *Cœtus voluntas* ſemper ferat? Ais, per alios, *τοὺς σταλομένους* iſta fieri. Reſp. Aliter ſe habent *civilia* quàm *ſacra*: Iſta *delegari* poſſunt, ex *ſimplici* majeſtatis voluntate, hæc ſecus, *niſi aliud quid acceſſerit*. Nota clauſulam. Sic

XXVI.

ASSERO. IV. PRINCIPI *Chriſtiano plura Iura competunt Eccleſiæ*, CIRCA & INTRA Eccleſiam TITULO SENIORATUS: quâ ex causâ *Arbitrium* in ſe ſuſcipere, *judicare* circa terminos & cauſas habiles, *repræſentare* ſocietatem credi, ejusque *Os*, *Interpres* & *Præſes* haberi poteſt. Obſerva (α) *Eccleſia*, quod *Societas* ſit, ordinem, uti ſuprà dictum, efflagitat, *ſpeciem regiminis*, *conſilium* prudens, *deciſionem* in ambiguis &c. ſine quibus diffluere Societatem, quà præſertim *publica*, & *viſibilis* eſt, neceſſe foret. Unde factum, ut & ipſa *Seniores* eligeret, non tantum qui *concionibus*, ſed & *aliis negotiis* 1.Tim.V.17. præeſſent, illo quidem tempore, cùm de *Principe in Eccleſia* nihil adhucdum audiretur, Præerant *Apoſtoli* ſumma & divina auctoritate: Præerant *Epiſcopi* & Presbyteri (de quorum differentia litem movere hic nil attinet, ſufficit illos *præfuiſſe*.) *Præerant* ſuis functionibus alii, *qui Eleemoſynas*, *viduas*, & lapſu temporis, *alia quoque officia* curarent. (β) Diſtinguere nos jubet Scriptura *inter functiones* IN ECCLESIA, quarum *illæ* animas *primario* ſpectant, docendo, baptizando, monendo, conſolando, corrigendo, quod *Prophetis Evangeliſtis*, & *Doctoribus* tribuitur, ut

ædifi-

ædificetur corpus Christi Eph. IV. 11. HÆ verò CIRCA ANIMAS & MEDIA seu potius adminicula earundem SALUTEM promovendi. Sic *prospicere* de Docentibus, eos *vocare*, pro iis DEUM implorare, *liturgiam & disciplinam* ordinare, controversiam subortam communi calculo decidere &c. *Societatis totius opus erat*, vel eorum, quibus compendii & prudentiæ causâ delegasset; SENIORES puta, viros probos, qui talia curarent. (γ) Utrasque autem *functiones* in IISDEM personis confluere necessarium esse Scripturæ Lex & exempla non comprobant. *Ut*, v. g. *qui docet*, catechizat, *aliis vocandis*, moribus ordinandis, litibus dirimendis, judiciis circâ res habiles exercendis, &c. occupetur, licet vocetur ἐπίσκοπος. I. Petr. V. 2. 3. Divisa hæc munia, & quidem ferè singula esse, QUID IMPEDIT? cum in Ecclesiâ totâ jus talia patrandi radicetur & delegari possit, *cui fuerit Volupe*. Ergò cum voce quadam publicâ cœtus indigeat, in rebus CIRCA animas πανταγωνικῶς versantibus, ratio prudentiæ postulat omninò, id officium PRINCIPI tanquam *præcipuo*, *sapientissimo*, *& malis* averruncandis *validissimo membro* deferri, ut iste ἐπισκοπὴν sive ut *Concil. Carthag.* loquitur ἐξουσίαν τὴν ἔξω, gerat, DOCENTIBUS aliis, & ANIMÆ salutem immediatè curantibus. Quæ *Exemplis diducere non est opus.* * Hoc modo vocabit *Ministros*, *confirmabit*, *ordinem tuebitur & disciplinam*; *dijudicabit* causas modis suprà memoratis, & quantum fert natura tam Religionis Christianæ, quam universim Societatis religiosæ. Per PRINCIPEM intelligo eum, *qui habet majestatem*, vel sit persona *singularis*, vel *plures*. Etsi fatendum est ut *Aristocratia & Democratia* majorem habent speciem *libertatis*, ac *monarchia*. Sic genio *Societatis* propius acceditur & *qualitati*, si pluribus cura Ecclesiæ committatur, quam PERSONÆ singulari. Hodie fit, ut QUASI-Statum MIXTUM alicubi habeamus, cum *aliqua* Princeps, *aliqua* Magistratus, *aliqua* populus exequatur. Alibi ferè omnia *populus* exequitur *per tribus*, alibi per *Senatum*: Pro varietate scil.

* Vid. Petrus *de Marca*. *Concord.* Sac. & Imp. l. VII. c. 2. VI. c. 22. & Passim *Constitut. Nov.* THEOD. quibus Imperatores rerum sacrarum Judicia sibi arrogant, sine dubio non tam *Imperii* quam taciti pacti *Iure*, & quod præcipui essent Ecclesiæ. Hinc passim verba θεσπίζομεν, συνεπιψηφιζόμενοι, &c.

Status Politici. Iterum *Consistoria* Principis sunt *Consiliarii*, alibi corpus in sacris ipsi collaterale, *dicasterium*, coram quo ipse Princeps compareat. Quæ omnia eò spectant, Majestati ἐπισκοπὴν tribui posse, consensu populi, ea ferè RATIONE, qua ipsa MAJESTAS hominibus transscribitur secundum *diversas formas Rerumpublicarum*.

XXVII.

Superest ut de COETU Christiano nonnihil commemoremus. ASSERTIO I. *Societas Christiana, seu Ecclesia non dat FACULTATEM Pastoralem, sed Christus*: Dat *tamen Presbyteratum* ut sic loquar *Laicum*, perficiendi ea quæ ad διοίκησιν & προστασίαν *externam* pertinent. PRIUS probatione non eget apud Theologos, & vulgò per majestatis collationem illustratur, quam à DEO fluere ἀμέσως, omnes ferè dixere *Patres*, probante *Usserio* Armachano tract. of *monarchy*. Videlicet subministrantur *Electione* subjecta, per populum, sive ipsius *Os, Principem*, in Ecclesiâ *Seniorem*. Hic *QUA PRINCEPS adprobat* atque *confirmat*. *MINISTERIUM* ejusque πρώτως per χειροθεσίαν *APOSTOLICO* & *POPULI* seu Ecclesiæ Jure *ORDINAT. INDE CHARACTEREM* officii *conferendo*; *HINC* benedictionibus Ecclesiæ *consecrando*. *POSTERIUS* demonstratur ex natura Societatis religiosæ, quam non posse perficere, sed *aliunde* expectare, quæ obtinendo fini suo conducunt, Chimæricum est, talemque Societatem in ludibrium convertit. Licet enim gratia *Conversionis*, Spiritus S. illuminatio, & *VIS* talia per *prædicationem* & *Sacramenta* hominibus conferendi *in potestate* non sit cœtûs ipsius *IMMEDIATE*, est tamen ex *promissione* & quod *electione* personarum & subsequuta consecratione τοῦ ἐπισκόπου, verbo *legitima subjecti suppeditatione*, nihil non obtineant. Neque etiam officit, quod *Episcopi*, qui pastores erant Ecclesiæ, curasse *talia* in V. Ecclesiâ narrentur, quæ Magistratui hodiè, ex *Jure* populi & *voluntate*, nisi expressâ, *tacitâ saltem*, transscribi solent. Etenim ex *prudentiâ* quod fit, & consuetudine, *NECESSITATI* de quâ loquimur, *morali*, & quidem ex *præcepto divino*, minus commodè imputatur, quam *Reverendissimus* in Angliâ *Episcopus Worcestriæ Stillingfleetus* in suo libro Irenico *Weapon Salve* ad *Apostolicum* modo *morem* revocat. Unde χειροτονίαν, ut *Louvth*

itidem

itidem Anglus prætendit, non *electionis* signum, sed *qualiscunque* adprobationis in populo fuisse, secure nimis asseritur. Cui controversiarum pelago me hâc vice non committo, quam eruditè tractarunt, Stillingfleeti defensor *Scherlog* Templi m.t. Magister post Walonem *Messalinum*, *Blondellum*, *Hooker* in aureo libro *Ecclesiastical Policy Episcopalium* & Non-*conformisticarum* partium Antesignani plures.

XXVIII.

ASSERTIO II. Societas Religiosa quæcunque, multo magis Christiana *jus Reformandi* non transtulit in Principem, *quod membrum factus sit Ecclesiæ*: non transscripsisse unquam præsumitur, cùm neque POSSIT. Non loquor de *coactione quadam violentâ* * ad mutationem Religionis, quod qui tentare aggreditur, *vix inter homines* ratione usos, nedum *Principes* nomen meretur: Sed de *suavibus viis & illecebris*, quà Principes in suam opinionem traducere cives conantur. Equidem PRINCIPI UT TALI datum est *ex secundo pacto*, ut ne Religionem insuper habeat, sed *custodiat* cives, quo minus interitum & miseriam perversis moribus & inolita impietate incurrant. *Addo* & hoc: ne patiatur à se fieri & sentiri, *populo puta*, quod *Reipublicæ* & per consequens *diversa sentientium saluti* adversum foret. Sed *ad Christianum* hæc nihil attinent, & *quà membum* vult haberi religiosæ Societatis, cujus Jura corrumpere *simul* velle, IMPLICAT. Posito autem casu *dissensiones* oriri & *sectas*, & Principem putare se optimam habere, talemque quam necesse & salutiferum sit, etiam subditos profiteri: *Officium* quidem facit *probi viri*, talia ad considerationem proponendo. Sed qui tectis artibus, *cum aliàs* nihil obtineat, nec Respublica vacillet, omnem lapidem movet *subruendæ Civium sententiæ*, quasi ex JURE quodam sibi injuncto, næ is egregiè fallitur.

XXIX.

* Legatur optimus liber *Commentaire Philosophique sur le paroles, Forçez les entrer*. Egregiè Minurius Felix, *quam pulchrum*, inquit, *spectaculum DEO, cum Christianus cum dolore congreditur, cum libertatem suam adversus Reges & Principes erigit*, SOLI DEO, *cujus est*, cedit, *cum triumphator & victor ipsi, qui adversum se sententiam dixit*, insultat,

XIX.

ASSERTIO IIIa. Jura, quæ cœtus in Principem retulit, tanquam SENIOREM, etsi ob pactum *tacitum* vel *expressum* (cum quod erat voluntatis, postmodum fiat necessitatis) revocari *temerè* nequeant sic tamen exerceri debent, ne Societas ingemiscat, ejusque *Jus radicale* & *conscientia* cum *libertate* opprimatur.

CHRISTO DEOQUE EJUS PATRI SIT GLORIA.

COROLLARIA.

I.

PRo hoc hominum statu *ἀναρχία* Ecclesiæ *quocunq; prætextu*, v. g. Independentium in Angliâ doctrinis, introducta *confusionem* parit: In uno corpore non omnis est oculus neque pes, sed ordine membra *diversis* occupata *Ministeriis* cohærent. I. Corinth. XII. 5. seq. Eph. IV. 11. seq.

II.

Majestas UT TALIS functionem sacri ordinis *usurpare* non potest.

III.

Datur *Ordo & Potestas* Ecclesiastica, in quam *nihil Majestas* possit, nihil Laicus.

IV.

Unde *Episcopus* (Vocabulo Ecclesiasticè accepto) *non ordinatus σιδηρόξυλον* est. Nostris moribus *Officialis* haberi debet partim *Christi*, partim *Principis*, partim *Ecclesiæ*.

V.

Episcopus tamen *gladiatus*, hoc est *Princeps Ordinatus* nihil habet absurdi: Quasi verò Ecclesia non possit esse *βασιλικὸν ἱεράτευμα. Exod. XIX. 6.*

VI.

Principum vero *Regumq; STATUS*, qui non *simpliciter*, ut in Melchisedeco, sed *μετὰ πολλῆς φαντασίας* ingreditur, ægrè cum *Christianismo*, quantum abest, ut cum Sacerdotio concilietur.

FINIS.